Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sammelhandschrift - Cod. Lichtenthal 7

Langton, Stephen

Frankreich (?), [13. Jh.]

Das Buch Judit

urn:nbn:de:bsz:31-35356

Visual Library

confitemini illi, regemque saeculorum exaltate in
operibus vestris. Ego autem in terra captivitatis meae
confitebor illi, quoniam ostendit maiestatem suam
in gentem peccatricem. Convertimini itaque pecca-
tores, et facite iustitiam coram Deo, credentes quod
faciet vobiscum misericordiam suam. Ego autem et anima
mea in eo laetabimur. Benedicite Dominum omnes elec-
ti eius, agite dies laetitiae, et confitemini illi.
Ierusalem civitas Dei, castigavit te Dominus in operibus
manuum tuarum. Confitere Domino in bonis tuis, et bene-
dic Deum saeculorum, ut reaedificet in te taberna-
culum suum, et revocet ad te omnes captivos, et
gaudeas in omnia saecula saeculorum. Luce splendi-
da fulgebis, et omnes fines terrae adorabunt te.
Nationes ex longinquo ad te venient,
et munera deferentes adorabunt Dominum in te,
et terram tuam in sanctificationem habebunt. Nomen
magnum invocabunt in te. Maledicti erunt
qui contempserint te, et condemnati erunt
qui blasphemaverint te, benedictique erunt
qui aedificaverint te. Tu autem laetaberis in filiis
tuis, quoniam omnes benedicentur, et congregabuntur
ad Dominum. Beati omnes qui diligunt te, et qui
gaudent super pace tua. Anima mea bene-
dic Dominum, quoniam liberavit Ierusalem civitatem suam.
Beatus ero si fuerint reliquiae seminis mei
ad videndum claritatem Ierusalem. Portae Ierusalem
ex sapphiro et smaragdo aedificabuntur,
et ex lapide pretioso omnis circuitus murorum
eius. Ex lapide candido et mundo omnes pla-
teae eius sternentur, et per vicos eius alleluia canta-
bitur. Benedictus Dominus qui exaltavit eam, ut sit
regnum eius in saecula saeculorum. Amen. Et con-
summati sunt omnes sermones Tobiae. Et postquam
illuminatus est Tobias, vixit annis xlii,
et vidit filios nepotum suorum. Completis itaque
annis c. xii. sepultus est honorifice in Nini-
ve. l. namque et sex annorum oculorum lumen ami-
sit, in gaudio, et cum bono profectu timoris Dei (fuit)
perrexit in pace. In hora autem mortis suae vocavit
ad se Tobiam filium suum et vii iuvenes fili-
os eius nepotes suos, dixitque eis: Prope erit
interitus Ninive, non enim excidit verbum Domini, et
fratres nostri qui dispersi sunt a terra Israel, reverten-
tur ad eam. Omnis autem deserta terra eius replebitur, et
domus Dei quae in ea incensa est, iterum reaedificabi-
tur, ibique revertentur omnes timentes Deum. Et re-
linquent gentes idola sua, et venient in
Ierusalem, et inhabitabunt in ea, et gaudebunt in ea

Sexagenarius vero re-
cepit. Reliquum
vero vitae suae

omnes reges terrae, adorantes regem Israel. Audite
ergo filii mei patrem vestrum. Servite Domino in veri-
tate, et inquirite ut faciatis quae sunt placita illi,
et filiis vestris mandate ut faciant iustitiam
et elemosinas, ut sint memores Dei, et benedicant
eum in omni tempore in veritate, et in tota virtute
sua. Nunc ergo audite filii mei, et nolite mane-
re hic, sed quacumque die sepelieritis matrem vestram circa
me in uno sepulcro, ex eo dirigite gressus vestros, ut
exeatis hinc. Video enim quia iniquitas eius finem
dabit ei. Factum est autem post obitum matris suae, To-
bias abscessit ex Ninive cum uxore sua, et filiis,
et reversus est ad soceros suos, invenitque eos inco-
lumes in senectute bona, et curam eorum gessit,
et ipse clausit oculos eorum. Omnem hereditatem domus
Raguel ipse percepit, viditque quintam generatio-
nem, filios filiorum suorum. Et completis annis nona-
ginta novem in timore Dei, cum gaudio sepelie-
runt eum. Omnis autem cognatio eius, et omnis generatio eius
in bona vita et in sancta observatione permansit, ita ut
accepti essent tam Deo quam hominibus, et cunctis habi-
tantibus in terra. Incipit liber Iudith. Prologus.

Apud Hebraeos liber Iudith inter agyographa
legitur. Cuius auctoritas ad roboranda illa
quae in contentionem veniunt, minus idonea
iudicatur. Chaldeo tamen sermone conscriptus inter
hystorias. inter hystorias computatur. Sed quia
hunc librum synodus Nicena in numero sanctarum
Scripturarum legitur computasse, acquievi postu-
lationi vestrae, immo exactioni, et sepositis occupa-
tionibus quibus vehementer arctabar, huic unam
(vigiliam unius noctis) lucubratiunculam dedi, magis sensum e sensu,
quam ex verbo verbum transferens. Multorum co-
dicum varietatem vitiosissimam amputavi.
Sola ea quae intelligentia integra in verbis Chal-
deis invenire potui, Latinis expressi. Accipi-
te Iudith viduam, castitatis exemplum,
et triumphali laude perpetuis eam preconiis
declarate. Hanc enim non solum feminis, sed et
viris imitabilem dedit, qui castitatis eius
remunerator, virtutem talem tribuit, ut in-
victum omnibus hominibus vinceret, insuperabilem
superaret.

Arphaxad itaque rex Medorum sub-
iugaverat multas gentes im-
perio suo, et ipse aedificavit civi-
tatem potentissimam, quam appella-
vit Egbathanis, ex lapidibus quadratis et sectis.
Fecit muros eius in altitudine cubitorum lxx.

in latitudine cubitorum .xxx. turres vero eius
posuit in latitudine cubitorum .c. per quadrum vero
earum latus utrumque vicenorum pedum spatio
tendebatur posuitque portas eius in altitudine
turrium et gloriabatur quasi potens in potentia ex-
ercitus sui et in gloria quadrigarum suarum. Anno igitur duo
decimo regni sui Nabuchodonosor rex Assyriorum qui
regnabat in Ninive civitate magna pug
navit contra Arfaxath et obtinuit eum in campo
magno qui appellatur Ragau circa Eufraten et
Tygrim et Iadason in campo Erioch regis Elicorum.
Tunc exaltatum est regnum Nabuchodonosor et cor eius exaltatum (elevatum)
est et misit ad omnes qui habitabant in Cilicia et Da
masco et Libano et ad gentes que sunt in Car
melo et Cedar et inhabitantes Galileam in campo
magno Hesdrelon et ad omnes qui erant in
Samaria et trans flumen Iordanem usque Ierusalem
et omnem terram Iesse quousque perveniatur ad mon
tes terminos Ethiopie. Ad hos omnes misit
nuncios Nabuchodonosor rex Assyriorum. Qui omnes uno
animo contradixerunt et remiserunt eos vacuos ac
sine honore abiecerunt. Tunc indig II
natus est Nabuchodonosor rex adversus omnem terram illam et
iuravit per thronum et regnum suum quod de
fenderet se de omnibus regionibus his. Anno tertio deci
mo Nabuchodonosor regis vicesima et secunda die mensis primi
factum est verbum in domo Nabuchodonosor regis Assyriorum
ut defenderet se. Vocavitque omnes maiores
natu omnesque duces et bellatores suos et habu
it cum eis misterium consilii sui dixitque cogita
tionem suam in eo esse ut omnem terram suo subiu
gare imperio. Quod dictum cum placuisset omnibus
vocavit Nabuchodonosor rex Holofernem principem mili
cie sue et dixit ei. Egredere adversum omne regnum
occidentis et contra eos precipue qui spreverunt imperium meum.
Non parcet oculus tuus ulli regno omnemque urbem
munitam subiugabis michi. Tunc Holofernes
vocavit duces et magistratus virtutis Assy
riorum et dinumeravit viros in expeditione sicut
precepit ei rex .c.xx. milia peditum pugnatorum
et equites sagittarios .xii. milia omnemque expe
ditionem suam fecit preire multitudine innumera
bilium camelorum cum his que exercitibus sufficerent
copiose boum quoque armenta gregesque ovium quorum non
erat numerus. Frumentum ex omni Syria in transitu suo
parari constituit. Aurum vero et argentum de domo
regis assumpsit multum nimis et profectus
est ipse et omnis exercitus cum quadrigis et equitibus
et sagittariis qui cooperuerunt faciem terre sicut

locuste. Cumque pertransisset fines Assyriorum ve
nit ad magnos montes Ange qui sunt
a sinistro Cilicie ascenditque omnia castella eorum
et obtinuit omnem munitionem. Effregit autem civi
tatem opinatissimam Meloth predavitque omnes filios
Tharsis et filios Ismahel qui erant contra faciem deserti
et ad austrum terre Celeon et transivit Eufra
ten et venit in Mesopotamiam et fregit omnes
civitates excelsas que erant ibi a torrente Mam
bre usque quo perveniatur ad mare et occupavit
terminos eius a Cilicia usque ad fines Iaphet qui
sunt ad austrum. Adduxitque omnes filios Ma
dian et predavit omnem locupletationem eorum
omnesque resistentes sibi occidit in ore gladii.
Et post hec descendit in campos Damasci
in diebus messis et succendit omnia sata omnesque
arbores ac vineas fecit incidi et cecidit ti
mor illius super omnes inhabitantes terram.
Tunc miserunt legatos suos universarum III
urbium et provinciarum reges ac principes Syrie sci
licet Mesopotamie et Syrie Sobal et Libie
atque Cilicie qui venientes ad Holofernem
dixerunt. Desinat indignatio tua circa nos.
Melius est enim ut viventes serviamus Nabuchodonosor
regi magno et subditi simus tibi quam morientes quam
cum interitu nostro ipsi servitutis nostre dampna pa
ciamur. Omnis civitas nostra omnisque possessio omnes
montes et colles et campi armenta boum gregesque
ovium caprarumque equorum et camelorum et universe
facultates nostre atque familie in conspectu
tuo sunt. Sint omnia nostra sub lege tua. Nos et
filii nostri servi tui sumus. Veni nobis pacificus
dominus et utere servitio nostro sicut placuerit tibi. Tunc de
scendit de montibus cum equitibus in virtute magna
et optinuit omnem civitatem et omnem inhabitantem
terram. De universis autem urbibus assumpsit si
bi auxiliarios viros fortes et electos ad bellum.
Tantusque metus provinciis illis incubuit ut uni
versarum urbium habitatores principes et honora
ti simul cum populis exirent in obviam ve
nienti excipientes eum cum coronis et
lampadibus ducentes choros in tybiis et
in tympanis in organis nec ista tamen facien
tes ferocitatem eius pectoris mitigare
potuerunt. Nam et civitates eorum destrux
erunt et lucos eorum excidit. Preceperat enim
illi rex Nabuchodonosor ut omnes deos terre ext
erminaret videlicet ut ipse solus diceretur deus ab
his nationibus que potuissent Holofernis po

potentia subjugavit. Transiens autem syriam
sobal et omnem appamiam omnemque mesopota
miam, venit ad ydumeos in terra gabaa accepitque
civitates eorum et sedit ibi per triginta dies in qui
bus diebus adunari precepit universum exercitum
IIII virtutis sue. Tunc audientes hec filii
israel qui habitabant in terra iuda timuerunt
valde a facie eius. Tremor et horror invasit
sensus eorum ne hoc faceret ierusalem et templo domini
quod fecerat ceteris civitatibus et templis earum. Et
miserunt in omnem samariam per circuitum usque ie
richo et preoccupaverunt omnes vertices montium et
muris circumdederunt vicos suos et congrega
verunt frumenta in preparationem pugne. Sacer
dos etiam heliachim scripsit ad universos qui erant
contra hesdrelon que est contra faciem campi mag
ni iuxta dothaim et universis per quos viae transitus esse
poterat ut obtinerent ascensus montium per quos
via esse poterat ad ierusalem ut illic custodirent ubi
angustum iter esse poterat inter montes. Et fece
runt filii israel secundum quod constituerat eis sacerdos
domini heliachim. Et clamavit omnis populus ad dominum instan
tia magna et humiliaverunt animas suas in ieiu
niis ipsi et mulieres eorum et induerunt se sacer
dotes ciliciis et infantes prostraverunt contra faciem
templi domini et altare domini operuerunt cilicio
et clamaverunt ad dominum deum israel unanimiter ne darentur
in predam infantes eorum et uxores eorum in divi
sionem et civitates eorum in exterminium et sancta eorum in
pollutionem. Tunc eliachim sacerdos domini ma
gnus circuivit omnem israel allocutusque est eos dicens
Scitote quoniam exaudiet dominus preces vestras si manen
tes permanentes permanseritis in ieiuniis et
orationibus in conspectu domini. Memores estote
moysi servi domini qui amalech confidentem in virtu
te sua et in potentia sua et in exercitu suo et in
clypeis suis et in curribus suis et in equitibus suis
non ferro pugnando sed precibus sanctis orando deiecit.
Sic erunt universi hostes israel si perseveraveritis
in hoc opere quod cepistis. Ad hanc igitur exortationem
eius deprecantes dominum permanebant in conspectu
domini ita ut etiam hi qui holocausta domino offerebant
precincti ciliciis offerent sacrificia domino et erat ci
nis super capita eorum et ex toto corde suo omnes
orabant deum ut visitaret populum suum israel.
V Nuntiatumque est holoferni principi milicie assi
riorum quod filii israel prepararent se ad resistendum
ac montium itinera conclusissent et furore ni
mio exarsit in iracundia magna vocavitque
omnes principes moab et duces amon et dixit eis.
Dicite michi quis sit populus iste qui montana ob
sidet aut que et quales et quante sint civitates
eorum, que etiam sit virtus eorum aut que sit multitudo eorum, aut
que sit multitudo eorum vel quis rex milicie eorum,
et quare pre omnibus qui habitant in oriente isti con
tempserunt nos et non exierunt in obviam nobis
ut susciperent nos cum pace. Tunc achior dux
omnium filiorum amon respondens ait. Si digne
ris audire domine mi dicam veritatem in conspectu
tuo de populo qui in montanis habitat et non egre
dietur verbum falsum ex ore meo. Populus iste
ex progenie caldeorum est. Hic primum in mesopota
mia habitavit quoniam noluerunt sequi deos patrum suorum quae erant in terra chaldeorum. Deserentes itaque ceremonias patrum suorum
que in multitudine deorum erant unum deum celi
coluerunt qui et precepit eis ut exirent inde et ha
bitarent in charan. Cumque operuisset omnem
terram fames descenderunt in egyptum illicque
per quadringentos annos sic multiplicati sunt
ut dinumerari non posset eorum exercitus. Cumque gravasset
eos rex egypti atque in edificationibus urbium
suarum in luto et latere subiugasset eos clamave
runt ad dominum suum et percussit totam terram egyp
ti plagis variis. Cumque eiecissent eos a se
egyptii et cessasset plaga ab eis et iterum eos vellent
capere et ad suum servitium revocare fugientibus his
deus celi aperuit mare ita ut hinc inde aque quasi
murus solidarentur et isti pede sicco fundum ma
ris perambulando transirent. In quo loco dum
innumerabilis exercitus egyptiorum eos persequeretur
ita aquis coopertus est ut non remaneret vel unus qui
factum posteris nuntiaret. Egressi etiam mare
rubrum deserta syna montis occupaverunt in
quibus numquam homo habitare potuit vel filius
hominis requievit. Illic fontes amari obdul
cati sunt eis ad bibendum et per annos XL an
nonam de celo consecuti sunt. Ubicumque ingre
ssi sunt sine arcu et sagitta et absque scuto et
gladio deus eorum pugnavit pro eis et vicit. Et non
fuit qui insultaret populo isti nisi quando recessit
a cultura domini dei sui. Quotienscumque autem preter ipsum
deum suum alterum coluerunt dati sunt in predam
et in gladium et in obprobrium. Quotienscumque autem
penituerunt se recessisse a cultura dei sui dedit
eis deus celi virtutem resistendi. Denique chana
neum regem et iebuseum et ferezeum et etheum
et eveum et amoreum et omnes potentes in esebon
prostraverunt et terras eorum et civitates eorum ipsi
possederunt et usque dum non peccarent in conspectu

dei sui erat cum illis bona. Deus enim illorum odit iniquitatem. Nam et ante hos annos cum recessissent a via quam dederat illis deus ut ambularent in ea, exterminati sunt preliis a multis nationibus, et plurimi eorum captivi abducti sunt in terram non suam. Nuper autem reversi ad dominum deum suum, ex dispersione qua dispersi fuerant adunati sunt, et ascenderunt montana hec omnia, et iterum possident Ierusalem ubi sunt sancta eorum. Nunc ergo, mi domine, perquire si est aliqua iniquitas eorum in conspectu dei eorum: ascendamus ad illos, quoniam tradens tradet illos deus eorum tibi, et subiugati erunt sub iugo potentie tue. Si vero non est offensio populi huius coram deo suo, non poterimus resistere illis, quoniam deus eorum defendet illos, et erimus in obprobrium universe terre. Et factum est cum cessasset loqui Achior verba hec, irati sunt omnes magnates Holofernis, et cogitabant interficere eum, dicentes ad alterutrum: Quis est iste qui filios Israel posse dicat resistere regi Nabuchodonosor et exercitibus eius, homines inermes et sine virtute et sine peritia artis pugne? Ut ergo agnoscat Achior quoniam fallit nos, ascendamus in montana, et cum capti fuerint potentes eorum, tunc cum eisdem gladio transverberabitur, ut sciat omnis gens quoniam Nabuchodonosor deus terre est, et preter ipsum alius non est.

VI. Factum est autem cum cessassent loqui, indignatus est Holofernes vehementer, et dixit ad Achior: Quoniam prophetasti nobis dicens quod gens Israel defendatur a deo suo, ut ostendam tibi quoniam non est deus nisi Nabuchodonosor, cum percusserimus eos omnes sicut hominem unum, tunc et ipse cum illis Assyriorum gladio interibis, et omnis Israel tecum perditione disperibit; et probabis quoniam Nabuchodonosor dominus sit universe terre, tuncque gladius milicie mee transiet per latera tua, et confixus cades inter vulneratos Israel, et non respirabis ultra donec extermineris cum illis. Porro autem si prophetiam tuam veram existimas, non concidat vultus tuus, et pallor qui faciem tuam obtinuit abscedat a te, si verba mea hec putas impleri non posse. Ut autem noveris quia simul cum illis hec experieris, ecce ex hac hora illorum populo sociaberis, ut dum dignas mei gladii penas exceperint, ipse simul ultioni subiaceas. Tunc Holofernes precepit servis suis ut comprehenderent Achior, et perducerent eum in Bethuliam, et traderent eum in manus filiorum Israel. Et accipientes eum servi Holofernis profecti sunt per campestria; sed cum appropinquassent ad montana, exierunt contra eos fundibularii. Illi autem divertentes a latere montis ligaverunt Achior ad arborem manibus et pedibus, et sic vinctum restibus dimiserunt eum, et reversi sunt ad dominum suum. Porro filii Israel descendentes de Bethulia venerunt ad eum, quem solventes duxerunt ad Bethuliam, atque in medio populi illum statuentes percunctati sunt quid rerum esset quod illum vinctum Assyrii reliquissent. In diebus illis erant illic principes Ozias filius Micha de tribu Symeon, et Charmi qui et Gothoniel. In medio itaque seniorum et in conspectu omnium Achior dixit omnia que locutus ipse fuerat ab Holoferne interrogatus, et qualiter populus Holofernis voluisset propter hoc verbum interficere eum, et quemadmodum ipse Holofernes iratus iusserit eum Israelitis hac de causa tradi, ut dum vicerit filios Israel, tunc et ipsum Achior diversis iubeat interire suppliciis, propter hoc quod dixisset: Deus celi defensor eorum est. Cumque Achior universa hec exposuisset, omnis populus cecidit in faciem adorantes dominum, et communi lamentatione et fletu unanimes preces suas domino effuderunt, dicentes: Domine deus celi et terre, intuere superbiam illorum, et respice ad nostram humilitatem, et faciem sanctorum tuorum attende, et ostende quoniam non derelinquis presumentes de te, et presumentes de se et de sua virtute gloriantes humilias. Finito itaque fletu, et per totum diem populorum oratione completa, consolati sunt Achior, dicentes: Deus patrum nostrorum, cuius tu virtutem predicasti, ipse tibi hanc dabit vicissitudinem, ut eorum magis tu interitum videas. Cum vero dominus deus noster dederit hanc libertatem servis suis, sit et tecum deus in medio nostri, ut sicut placuerit tibi, ita cum tuis omnibus converseris. Tunc Ozias finito consilio suscepit eum in domum suam, et fecit ei cenam magnam. Et vocatis omnibus presbiteris simul expleto ieiunio refecerunt. Postea vero convocatus est omnis populus, et per totam noctem intra ecclesiam oraverunt, petentes auxilium a deo Israel.

VII. Holofernes autem altera die precepit exercitibus suis ut ascenderent contra Bethuliam. Erant autem pedites bellatorum CXX milia, et equites XX duo milia, preter preparationes virorum illorum quos occupaverat captivitas, et adducti fuerant de provinciis et urbibus universe iuventutis. Omnes paraverunt se pariter ad pugnam contra filios Israel, et venerunt per crepidinem montis usque ad apicem qui respicit super Dothaim, a loco qui dicitur Belma usque Chelmon, qui est contra Esdrelon. Filii autem Israel ut viderunt multitudinem illorum, prostraverunt se super terram, mittentes cinerem super capita sua, unanimes

Achior

flevit et oravit populus et nota [illegible]

vnus

cetum XX milia peditum XXII milia equites

+ achior ligatur

orantes ut deus israel misericordiam suam ostenderet super
populum suum et assumentes arma sua bellica sede-
bant per loca que angusti itineris tramitem dirigunt in-
ter montuosa et erant custodientes ea toto die
et nocte. Porro holofernes dum circuit per girum
reperit quod fons qui influebat aqueductum
illorum a parte australi extra civitatem dirigere-
tur et incidi precepit aqueductum eorum. Erant tamen non
longe a muris fontes ex quibus furtim videba-
ntur haurire aquam ad refocillandum potius quam
ad potandum. Sed filii amon et moab accesserunt
ad holofernem dicentes filii israel non in lancea
nec in sagitta confidunt sed montes defendunt
illos et muniunt illos colles in precipicio consti-
tuti. Ut ergo sine congressione pugne possis superare eos
pone custodes fontium ut non hauriant aquas et
sine gladio interficies eos vel certe fatigati
tradent civitatem suam quam putant in mon-
tibus sitam superari non posse. Et placuerunt verba
hec coram holoferne et coram omnibus satellitibus
eius et constituit per girum centenarios per singu-
los fontes. Cumque ista custodia per dies .xx.
fuisset expleta defecerunt cisterne et collectiones
aquarum omnibus inhabitantibus bethuliam ita ut non esset
intra civitatem unde satiarentur vel una die quia ad
mensuram dabatur populis aqua cotidie. Tunc ad oziam
congregati omnes viri feminis que iuvenes et par-
vuli simul omnes una voce dixerunt Iudicet deus inter
nos et te quoniam fecisti in nos mala nolens loqui
pacifice cum assiriis et propter hoc vendidit nos deus
in manibus eorum et ideo non est qui adiuvet cum prosterna-
mur ante oculos eorum in siti et perditione magna
et nunc congregate universos qui in civitate sunt
ut sponte tradamus nos omnes populo holofernis. Melius
est enim ut captivi benedicamus dominum viventes
quam moriamur et simus obprobrium omni carni cum
viderimus uxores nostras mori ante oculos nostros. Con-
testamur hodie celum et terram et deum patrum nostrorum
qui ulciscitur nos secundum peccata nostra ut iam tra-
datis civitatem in manu militie holofernis et
sit finis noster brevis in ore gladii qui longior
efficitur in ariditate sitis. Et cum dixissent hec
factus est fletus et ululatus magnus in ecclesia
omnibus et per multas horas una voce clamaverunt
ad deum dicentes. Peccavimus cum patribus nostris in-
iuste egimus iniquitatem fecimus tu quia pius es miserere
nostri aut in tuo flagello vindica iniquitates
nostras et noli tradere confitentes te populo qui ignorat
te ut non dicant gentes ubi est deus eorum. Et

cum fatigati essent clamoribus his et fletibus lassa-
ti siluissent exsurgens ozias infusus lacri-
mis dixit Equo animo estote fratres et hos quinque dies
expectemus a domino misericordiam. Forsitan enim indig-
nationem suam abscidet et dabit gloriam nomini suo. Si
autem transactis quinque diebus non venerit adiuto-
rium faciemus hec verba que locuti estis. VIII Et factum
ubi est cum audisset hec verba iudith vidua que erat filia
merari filii ydox filii ioseph filii ozie filii ela-
i filii iamnor filii gedeon filii rafaim filii achitob
filii melchie filii enam filii nathanie filii sala-
thiel filii symeon filii israel et vir eius fuit manas-
ses qui mortuus est in diebus messis hordeacie.
Instabat enim super alligantes manipulos in campo
et venit estus super caput eius et mortuus est in bethulia
civitate sua et sepultus illic cum patribus suis.
Erat autem iudith relicta eius vidua iam annis
tribus et mensibus sex et in superioribus domus sue fecit
sibi secretum cubiculum in quo cum puellis suis
clausa morabatur et habens super lumbos suos ci-
licium ieiunabat omnibus diebus vite sue preter sab-
bata et neomenias et festa domus israel. Erat autem ele-
ganti aspectu nimis et famuliam copiosam
ac possessiones habebat armentis boum et gregibus ovi-
um plena. Et erat hec in omnibus famosissima quoniam
timebat dominum valde nec erat qui loqueretur de
illa verbum malum. Hec itaque cum audisset quod ozias
promisisset quod transacto quinto die traderet civitatem
misit ad presbiteros chabri et charmi et venerunt
ad illam et dixit illis Quod est hoc verbum in quo consensit
ozias ut tradat civitatem assiriis si intra quinque
dies non venerit adiutorium. Et qui estis vos qui temp-
tatis dominum. Non est iste sermo qui misericordiam provocet
sed potius qui iram excitet et furorem accendat. Po-
suistis vos tempus miserationis domini et in arbi-
trium vestrum diem constituistis ei. Sed quia patiens
est dominus in hoc ipso peniteamus et indulgentiam
eius fusis lacrimis postulemus. Non enim quasi homo sic
deus comminabitur neque sicut filius hominis ad ira-
cundiam inflammabitur. Et ideo humiliemus illi animas
nostras et in spiritu constituti humiliato servientes illi
dicamus flentes domino ut secundum voluntatem suam
sic faciat nobiscum misericordiam suam et sicut conturbatum est cor
nostrum in superbia eorum ita et de nostra humilitate glo-
riemur quoniam non sumus secuti peccata patrum nostrorum
qui dereliquerunt deum suum et adoraverunt deos
alienos pro quo scelere dati sunt in gladium et in ra-
pinam et in confusionem inimicis suis. Nos autem
alterum deum nescimus preter ipsum. Expectemus

humiles consolationem eius et exquiret sangui
nem nostrum de afflictionibus inimicorum nostrorum et humi
liabit omnes gentes quecumque insurgunt contra nos et
faciet illos sine honore dominus deus noster. Et nunc fratres
quoniam vos estis presbyteri in populo dei et ex vobis
pendet anima illorum, ad eloquium vestrum corda eorum erigite
ut memores sint quia temptati sunt patres nostri
ut probarentur si vere colerent deum suum. Memores
esse debent quomodo pater noster abraham temptatus est et per
multas tribulationes probatus dei amicus effectus est.
Sic ysaac sic iacob sic moyses et omnes qui pla
cuerunt deo per multas tribulationes transie
runt fideles. Illi autem qui temptationes non sus
ceperunt cum timore domini et patientiam suam et impro
perium murmurationis sue contra dominum protulerunt exter
minati sunt ab exterminatore et a serpentibus
perierunt. Et nos ergo non ulciscamur nos pro his que
patimur, sed reputantes peccatis nostris hec ipsa mi
nora esse supplicia flagella domini quibus quasi servi
corripimur ad emendationem non ad perditionem nostram
venisse credamus. Et dixerunt illi ozias et presbyteri.
Omnia que locuta es vera sunt et non est in sermonibus
tuis ulla reprehensio. Nunc ergo ora pro nobis quoniam mulier
sancta es et timens deum. Et dixit illis iudith. Sicut
quod loqui potui dei esse cognoscitis, ita quod facere
disposui probate si ex deo est et orate ut firmum
faciat consilium meum deus. Stabitis vos ad portam
nocte ista et ego exeam cum abra mea et orate
sicut dixistis ut in diebus quinque respiciat dominus
populum suum israel. Vos autem nolo ut scrutemini
actum meum et usque dum renuntiem vobis nihil a
liud fiat nisi oratio pro me ad dominum deum nostrum. Et dixit
ad eam ozias princeps iuda. Vade in pace et
dominus sit tecum in ultionem inimicorum nostrorum. Et re
IX vertentes abierunt. Quibus abscedentibus
iudith ingressa est oratorium suum et induens
se cilicio posuit cinerem super caput suum et proster
nens se domino clamavit ad dominum dicens. Domine
deus patris mei symeonis qui dedisti illi gladium
Oro in defensionem alienigenarum qui violatores
extiterunt in coinquinatione sua et denudaverunt
femur virginis in confusionem et dedisti mu
lieres eorum in predam et filias eorum in captivita
tem et omnem predam in divisionem servis tuis qui
zelaverunt zelum tuum subveni queso te domine deus
meus mihi vidue. Tu enim fecisti priora et illa post
illa cogitasti et hoc factum est quod ipse voluisti. Omnes
enim vie tue parate sunt et tua iudicia in provi
dentia tua posuisti. Respice castra assyriorum

nunc sicut tunc castra egyptiorum videre dignatus
es quando post servos tuos armati currebant
confidentes in quadrigis et in equitatu suo
et in multitudine bellatorum. Sed aspexisti super
castra eorum et tenebre fatigaverunt eos.
Tenuit pedes eorum abyssus et aque operuerunt
eos. Sic fiant et isti domine qui
confidunt in multitudine sua et in curribus
suis et in contis et in scutis et in sagittis suis
et in lanceis gloriantur et nesciunt quia tu ipse
es deus noster qui conteris bella ab initio et dominus est
nomen tibi. Erige brachium tuum sicut ab initio
et allide virtutem eorum in virtute tua. Cadat
virtus eorum in iracundia tua qui promittunt
se violare sancta tua et polluere tabernaculum
nominis tui et deicere gladio suo cornu altaris tui.
Fac domine ut gladio proprio eius superbia am
putetur. Capiatur laqueo oculorum suorum in me et per
cuties eum ex labiis caritatis mee. Da
mihi in animo constantiam ut contempnam illum et virtu
tem ut evertam eum. Erit enim memoriale
nominis tui cum manus femine deiecerit eum. Non
enim in multitudine est virtus tua domine neque
in equorum viribus voluntas tua est, nec super
bi ab initio placuerunt tibi sed humilium
et mansuetorum tibi semper placuit deprecatio.
Deus celorum creator aquarum et dominus totius creature exau
di me miseram deprecantem et de tua misericordia presumentem.
Memento domine testamenti tui et da verbum in ore
meo et in corde meo consilium corrobora ut
domus tua in tua sanctificatione permaneat
et omnes gentes agnoscant quoniam tu es deus et non
est alius preter te. Factum est autem cum cessasset X
clamare ad dominum surrexit de loco quo iacue
rat prostrata ad dominum vocavitque abram suam et
descendens in domum suam abstulit a se cilicium
et exuit se vestimentis viduitatis sue et la
vit corpus suum et unxit se myrro optimo
et discriminavit crinem capitis sui et imposuit
mitram super caput suum et induit se vestimentis
iocunditatis sue induitque sandalia
pedes suos assumpsitque dextraliola et
lilia et inaures et anulos et omnibus orna
mentis suis ornavit se. Cui etiam dominus contulit
splendorem quoniam omnis ista compositio non ex libi
dine sed ex virtute pendebat et ideo dominus hanc in
illam pulchritudinem ampliavit ut incompa
rabili decore omnium oculis appareret. Imposuit
itaque abre sue ascopam vini et vas olei et po

lentam et palatas et panes et caseum et profecta est.
Cumque venissent ad portam civitatis invene-
runt expectantem Oziam et presbiteros civita-
tis. Qui cum vidissent eam stupentes mirati
sunt nimis pulchritudinem eius. Nihil tamen interroga-
tes eam dimiserunt transire dicentes: Deus
patrum nostrorum det tibi gratiam et omne consilium tui cordis
sua virtute corroboret ut glorietur super te Ierusalem
et sit nomen tuum in numero sanctorum et iustorum.
Et dixerunt hi qui illic erant omnes una voce:
Fiat, fiat. Iudith vero orans dominum transivit
portas ipsa et abra eius. Factum est autem cum descen-
deret montem circa ortum diei occurrerunt
ei exploratores Assyriorum et tenuerunt illam
dicentes: Unde venis aut quo vadis? Que respon-
dit: Filia sum Hebreorum, ideo ego fugi a facie
eorum quoniam futurum agnovi quod dentur vobis in depre-
dationem, pro eo quod contempnentes vos noluerunt
ultro tradere se ipsos ut invenirent misericordiam
in conspectu vestro. Hac de causa cogitavi mecum dicens:
Vadam ad faciem principis Holofernis ut indi-
cem illi secreta illorum et ostendam illi quo aditu
possit obtinere eos ita ut non cadat unus vir
de exercitu eius. Et cum audissent viri illi verba
eius considerabant faciem eius et erat in oculis eorum
stupor quoniam mirabantur pulchritudinem eius ni-
mis. Et dixerunt ad eam: Conservasti animam tuam
eo quod tale repperisti consilium ut descenderes ad
dominum nostrum. Hoc autem scias quoniam cum steteris in
conspectu eius bene tibi faciet et eris gratissima in cor-
de eius. Duxeruntque illam ad tabernaculum Holo-
fernis annuntiantes eam. Cumque intrasset
ante faciem eius statim captus est in suis oculis
Holofernes. Dixeruntque satellites eius: Quis
contempnat populum Hebreorum qui tam
decoras mulieres habet ut non pro his merito
pugnare debeat contra eos. Videns itaque Iu-
dith Holofernem sedentem in conopeo quod erat
ex purpura et auro et smaragdo et lapidibus
preciosis intertextum, et cum in faciem eius intendisset
adoravit eum prosternens se super terram. Et levaverunt
illam servi Holofernis iubente domino suo.

XI. ¶ Tunc dixit illi Holofernes: Equo animo esto et noli
pavere in corde tuo quoniam ego numquam nocui
seruire — viro qui voluit Nabuchodonosor regi. Populus autem tuus
si non contempsisset me non levassem lanceam
meam super illum. Nunc autem dic michi qua ex causa re-
cessisti ab eis et placuit tibi venire ad
nos. Et dixit illi Iudith: Sume verba

ancille tue quoniam si secuta fueris verba ancille
tue perfectam rem faciet dominus tecum. Vivit enim
Nabuchodonosor rex terre et vivit virtus eius que est in te
ad correptionem omnium animarum errantium, quoniam non
solum homines servient illi per te sed et bestie agri
obtemperant illi. Annuntiatur enim industria ani-
mi tui universis gentibus et indicatum est omni seculo
quoniam tu solus bonus et potens es in omni regno eius
et disciplina tua omnibus provinciis predicatur. Nec
hoc latet quod locutus est Achior, nec illud igno-
ratur quod ei iusseris evenire. Constat enim
deum nostrum sic peccatis offensum ut mandaverit
per prophetas suos ad populum quod tradat eos pro peccatis
suis. Et quoniam sciunt se offendisse deum suum filii Israel, isr'.
timor tuus super ipsos est. Insuper etiam fames in-
vasit eos et ab ariditate aque iam inter mortuos
computantur. Denique hoc ordinant ut interficiant
pecora sua et sanguinem eorum bibant, et sancta domini sui
que precepit deus non contingi in frumento vino et oleo
hec cogitaverunt impendere et volunt consumere
que nec manibus deberent contingere. Ergo quoniam hec fa-
ciunt certum est quod in perditionem dabuntur. Quod ego
ancilla tua cognoscens fugi ab illis et misit
me dominus hec ipsa nuntiare tibi. Ego enim an-
cilla tua deum colo et nunc apud te, et exiet ancilla
tua et orabo deum et dicet michi quando eis reddat peccatum
suum et veniens nuntiabo tibi ita ut ego addu-
cam te per mediam Ierusalem et habebis omnem populum Israel
sicut oves quibus non est pastor et non latrabit vel unus
contra te quoniam hec michi dicta sunt per providentiam dei et quoniam
iratus est illis deus hec ipsa missa sum nuntiare
tibi. Placuerunt autem omnia verba hec coram Holoferne
et coram pueris eius et mirabantur ad sapientiam eius
et dicebant alter ad alterum: Non est talis mulier super
terram in aspectu et pulchritudine et sensu verborum.
Et dixit ad illam Holofernes: Benefecit deus qui mi-
sit te ante populum ut des illum tu in manibus nostris
et quoniam bona est promissio tua. Si fecerit michi hoc deus
tuus erit et deus meus, et tu in domo Nabuchodonosor ma- notabi.
gna eris et nomen tuum nominabitur in universa terra. ¶ Tunc XII.
iussit eam illic manere et constituit quid daret-
ur illi de convivio suo. Cui respondens Iudith dixit:
Nunc non potero manducare ex his que michi pre-
cipis tribui ne veniat super me offensio, ex his
autem que mecum detuli manducabo. Cui Holo-
fernes ait: Si defecerint tibi ista que tecum detu-
listi, quid faciemus tibi? Et dixit Iudith: Vivit
anima tua domine mi quoniam non expendet omnia hec ancilla
tua donec faciat deus in manu mea hec que cogita-

in et introduxerunt illam servi eius in tabernacu
lum quo praeparaverat, et petiit dum introiret ut
daretur illi copia nocte et ante lucem egre
diendi foras ad orationem et deprecandi dominum
et praecepit cubiculariis suis ut sicut placeret illi
exiret et introiret adorandum deum suum per
triduum et exiebat noctibus in vallem bethu
liae et baptizabat se in fonte aquae. Et ut as
cendebat orabat dominum deum israel ut dirigeret
viam eius ad liberationem populi sui. Et introiens
munda manebat in tabernaculo usque dum ac
ciperet escam suam in vespera. Et factum est quarto
die holofernes fecit cenam servis suis et dixit
ad bagao eunuchum: Vade et suade hebraeam
illam ut sponte consentiat habitare mecum.
Foedum est enim apud assyrios si femina irri
deat virum agendo ut immunis transeat ab
eo. Tunc introivit bagao ad iudith et dixit
ei: Non vereatur bona puella introire ad do
minum meum ut honorificetur ante faciem eius et
manducet cum eo et bibat vinum cum iocundi
tate. Cui iudith respondit: Quae ego sum
ut contradicam domino meo? Omne quod erit ante oculos
eius bonum et optimum faciam. Quicquid autem illi pla
cuerit hoc mihi erit optimum omnibus diebus vitae
meae. Et surrexit et ornavit se vestimento suo et ingres
sa stetit ante faciem eius. Cor autem holofernis con
cussum est. erat enim ardens in concupiscentia
eius. Et dixit ad eam holofernes: Bibe nunc et
accumbe in iocunditate quoniam gratiam invenisti co
ram me. Et dixit iudith: Bibam domine quoniam magni
ficata est anima mea hodie prae omnibus diebus meis. Et acce
pit et manducavit et bibit coram ipso ea quae pa
raverat illi ancilla eius. Et iocundus factus est holo
fernes ad illam bibitque vinum multum ni
mis quantum numquam biberat in vita sua.

Ca. XIII

Ut autem sero factum est festinaverunt servi illius ad hospitia
sua et conclusit bagao ostia cubiculi et abiit. Erant
autem omnes fatigati a vino eratque iudith sola
in cubiculo. Porro holofernes iacebat in lecto
nimia ebrietate sopitus. Dixitque iudith puel
lae suae ut staret foris ante cubiculum et observa
ret. Stetitque ante lectum orans cum lacrimis et la
biorum motu in silentio dicens: Confirma me
domine deus israel et respice in hac hora ad opera ma
nuum mearum ut sicut promisisti ierusalem civitatem
tuam erigas et hoc quod credens per te posse fi
eri cogitavi perficiam. Et haec cum dixisset accessit
ad columnam quae erat ad caput lectuli eius et pu
gionem eius qui in ea ligatus pendebat ex
solvit. Cumque evaginasset illum apprehendit
comam capitis eius et ait: Confirma me domine deus
israel in hac hora. Et percussit bis in cervicem eius
et abscidit caput eius et abstulit conopeum eius
a columpnis et evolvit corpus eius truncum.
Et post pusillum exivit et tradidit caput holofer
nis ancillae suae et iussit ut mitteret illud in
peram suam. Et exierunt duae secundum consuetu
dinem suam quasi ad orationem et transierunt castra
et gyrantes vallem venerunt ad portas ci
vitatis. Et dixit iudith a longe custodibus
murorum: Aperite portas quoniam nobiscum est deus qui
fecit salutem magnam in israel. Et factum est cum
audissent viri vocem eius vocaverunt presbyteros civi
tatis et concurrerunt ad eam omnes a minimo usque ad
maximum quoniam speraverunt eam iam non esse ven
turam. Et accendentes luminaria congyrave
runt circa eam universi. Illa autem ascendens
in eminentiori loco iussit fieri silentium. Cum
que omnes tacuissent dixit iudith: Laudate do
minum deum nostrum qui non deseruit sperantes
in se et in me ancilla sua adimplevit misericordiam
suam quam promisit domui israel et interfecit in ma
nu mea hostem populi sui in hac nocte. Et proferens
de pera caput holofernis ostendit illis dicens: Ec
ce caput holofernis principis militiae assyriorum
et ecce conopeum illius in quo recumbebat in ebrieta
te sua ubi et per manum feminae percussit illum
dominus deus noster. Vivit autem ipse dominus quoniam custo
divit me angelus eius et hinc euntem et ibi com
morantem et inde huc revertentem et non permisit
me ancillam suam dominus coinquinari sed sine
pollutione peccati revocavit me vobis gau
dentem in victoria sua in evasione mea et
in liberatione vestra. Confitemini illi omnes quoniam
bonus quoniam in saeculum misericordia eius. Universi autem
adorantes dominum dixerunt ad eam: Benedixit
te dominus in virtute sua quia per te ad nihilum
redegit inimicos nostros. Porro ozias princeps
populi israel dixit ad eam: Benedicta es tu filia
a domino deo excelso prae omnibus mulieribus super terram.
Benedictus dominus qui creavit caelum et terram
qui te direxit in vulnera capitis principis
inimicorum nostrorum. Quia hodie nomen tuum ita magni
ficavit ut non recedat laus tua de ore homi
num qui memores fuerint virtutis domini in aeter
num pro quibus non pepercisti animae tuae propter angustias
et tribulationes generis tui sed subvenisti ruinae

ante conspectum dei in memoriam et pro ista omnis populus
dicat fiat fiat. Porro achior uocatus uenit et dixit
ei iudith. Deus israel cui tu testimonium dedisti
quod ulciscatur de inimicis suis ipse caput omnium
incredulorum incidit in hac nocte in manu mea
et ut probes quia ita est ecce caput holofernis qui
in contemptu superbie sue deum israel contempsit
et tibi interitum minabatur dicens. Cum cap-
tus fuerit populus israel gladio perforari precipiam
latera tua. Videns autem achior caput holo-
fernis angustiatus pre pauore cecidit in fa-
ciem suam super terram et estuauit anima eius. Postea
uero quam resumpto spiritu recreatus est procidit ad
pedes eius et adorauit eam et dixit. Benedicta
tu a deo tuo in tabernaculo iacob quoniam in o-
mni gente que audierit nomen tuum magni-
XIIII ficabitur deus israel super te. Dixit autem
iudith ad omnem populum. Audite me fratres mei
suspendite caput hoc super muros nostros.
Et erit cum exierit sol accipiat unusquisque
arma sua et exite cum impetu non ut des-
cendatis deorsum sed quasi impetum facientes.
Tunc exploratores necesse erit ut fu-
giant ad principem suum excitandum eum ad
pugnam. Cumque duces eorum cucurrerint ad ta-
bernaculum holofernis et inuenerint eum truncum
in suo sanguine uolutatum decidet super eos
timor. Cumque cognoueritis fugere illos
ite post illos securi quoniam dominus conteret eos sub pedi-
bus uestris. Tunc achior uidens uirtutem quam fecit
deus israel relicto gentilitatis ritu credidit deo
et circumcidit carnem preputii sui et appositus
est ad populum israel et omnis successio generis eius
usque in hodiernum diem. Mox autem ut ortus
est dies suspenderunt super muros caput holo-
fernis. Accepitque unusquisque uir arma sua et
egressi sunt cum grandi strepitu et ululatu.
Quod uidentes exploratores ad tabernaculum
cucurrerunt. Porro hi qui in tabernaculo erant
uenientes et ante ingressum cubiculi perstre-
pentes excitandi gratia inquietudinem arte
moliebantur ut non ab excitantibus sed a sonantibus
holofernes euigilaret. Nullus enim audebat
cubiculum uirtutis assyriorum pulsando
aut intrando aperire. Sed cum uenissent duces
eius et tribuni et uniuersi maiores exercitus assy-
riorum dixerunt cubiculariis. Intrate et excita-
te illum quoniam egressi mures de cauernis suis
ausi sunt nos prouocare ad prelium. Tunc ingressus

bagao cubiculum eius stetit ante cortinam et plau-
sum fecit manibus suis. Suspicabatur en-
im illum cum iudith dormire. Sed cum nullum
motum iacentis sensu aurium caperet accessit
approximans ad cortinam et eleuans eam uidensque
cadauer absque capite holofernis in suo sanguine
tabefactum iacere super terram exclamauit uoce
magna cum fletu et scidit uestimenta sua et
ingressus tabernaculum iudith non inuenit eam
et exiliuit foras ad populum et dixit. Una mulier ebrea
fecit confusionem in domo regis nabuchodonosor. Ecce
enim holofernes iacet in terra et caput eius non est in illo.
Quod cum audissent principes uirtutis assyriorum sci-
derunt omnes uestimenta sua et intollerabilis ti-
mor et tremor cecidit super eos et turbati sunt
animi eorum ualde et factus est clamor incompara-
bilis in medio castrorum eorum. Cumque omnis XV
exercitus decollatum holofernem audisset fu-
git mens et consilium ab eis et solo timore et me-
tu agitati fuge presidium sumunt ita ut nullus
loqueretur cum proximo suo sed inclinato capite
relictis omnibus euadere cupiebant quos arma- [hebreos]
tos super se uenire audiebant fugientes
per uias camporum et semitas collium. Videntes
itaque filii israel fugientes illos descenderunt
clangentes tubis et ululantes post ipsos.
Et quoniam assyrii non adunati in fugam ibant pre-
cipites filii autem israel uno agmine persequentes debili-
tabant omnes quos inuenire potuissent. Misit itaque
ozias nuntios per omnes ciuitates et regiones
israel. Omnis itaque regio omnisque urbs electam iuuen-
tutem misit armatam post eos et persecuti sunt
eos in ore gladii quousque peruenirent ad extremi-
tatem finium suorum. Reliqui autem qui erant
in bethulia egressi sunt in castra assyriorum
et predam quam fugientes assyrii reliquerunt
abstulerunt et onustati sunt ualde. Hii uero
qui uictores reuersi sunt in bethuliam et omnia que [exultantes]
erant illorum abstulerunt secum ita ut non esset
numerus in pecoribus et iumentis et uniuersis mobilibus
eorum ut a minimo usque ad magnum omnes di-
uites fierent de predationibus eorum. Ioachim
autem summus pontifex de ierusalem uenit ad
bethuliam cum uniuersis presbiteris suis ut ui-
deret iudith. Que cum exisset ad illum benedixerunt
illam omnes una uoce dicentes. Tu gloria ie-
rusalem tu leticia israel tu honorificentia popu-
li nostri quia fecisti uiriliter et confortatum est cor tuum eo quod
castitatem amaueris et post uirum tuum alterum

ista iudith

amaveris et ideo manus domini confortavit te et propter
hoc eris benedicta in aeternum. Et dixit omnis populus fiat
fiat. Per dies autem xxx vix collecta sunt spo
lia assyriorum a populo israel. Porro autem universa quae
holofernis peculiaria fuisse probata sunt de
derunt iudith in auro et argento et vestibus
et gemmis et omni supellectili et tradita sunt
illi omnia a populo. Et omnes populi gaudebant cum mulie
ribus et virginibus et iuvenibus in organis et citha
ris. Tunc cantavit canticum hoc domino iudith dicens
Incipite domino in tympanis cantate domino in cym
balis modulamini illi psalmum novum exultate
et invocate nomen eius. Dominus conterens bella dominus nomen
est illi qui posuit castra sua in medio populi sui ut e
riperet nos de manu omnium inimicorum nostrorum. Ve
nit assur ex montibus ab aquilone in multitudi
ne fortitudinis suae cuius multitudo obturavit
torrentes et equi eorum cooperuerunt valles. Dixit
se incensurum fines meos et iuvenes meos
occisurum in gladio infantes meos dare in pre
dam et virgines in captivitatem. Dominus autem omnipotens
nocuit eum et tradidit eum in manus feminae
et confodit eum. Non enim cecidit potens eorum a iu
venibus nec filii titan percusserunt eum nec excelsi
gigantes imposuerunt se illi sed iudith filia
merari in specie faciei suae dissolvit eum. Exu
it enim se vestimento viduitatis suae et induit se ve
stimento leticie in exultatione filiorum israel. Unxit
faciem suam unguento et colligavit cincinnos suos
mitra accepit stolam novam ad decipiendum illum.
Sandalia eius rapuerunt oculos eius pulchritudo
eius captivam fecit animam eius amputavit pugio
ne cervicem eius. Horruerunt perse constantiam eius et medi
audaciam eius. Tunc ululaverunt castra assyriorum quando
apparuerunt humiles mei arescentes in siti.
Filii puellarum compunxerunt eos et sicut pueros fugien
tes occiderunt eos. Perierunt in prelio a facie
domini dei mei. Hymnum cantemus domino hymnum novum cantemus
deo nostro. Adonai domine magnus es tu et preclarus in
virtute et quem superare nemo potest. Tibi serviat omnis crea
tura tua quia dixisti et facta sunt misisti spiritum tuum
et creata sunt et non est qui resistat voci tuae. Mon
tes a fundamentis movebuntur cum aquis pe
trae sicut cera liquescent ante faciem tuam. Qui autem timent
te magni erunt apud te per omnia. Vae genti sup *insurgenti*
er genus meum. Dominus enim omnipotens vindicabit in eis in
die iudicii visitabit illos. Dabit enim ignem et ver
mes in carnes eorum ut urantur et sentiant usque
in sempiternum. Et factum est post haec omnis populus
post victoriam venit in ierusalem adorare
dominum et mox ut purificati sunt obtulerunt
omnes holocausta et vota et repromissiones suas.
Porro iudith universa vasa bellica holofernis
quae dedit illi populus et conopeum quod ipsa sustulerat
in anathema oblivionis. Erat autem populus io
cundus secundum faciem sanctorum et per tres menses gau
dium huius victoriae celebratum est cum iudith.
Post dies autem illos unusquisque rediit in domum suam
et iudith magnifica facta est in bethulia et precla
rior erat universae terrae israel. Erat etiam virtuti
castitas adiuncta ita ut non cognosceret vi
rum omnibus diebus vitae suae ex quo defunctus
est manasses vir eius. Erat autem diebus festis proce
dens cum gloria magna. Mansit autem in domo
viri sui annis c.v. et dimisit abram suam
liberam et defuncta est ac sepulta cum viro suo
in bethulia. Luxit autem illam omnis populus diebus vii.
In omni autem spatio vitae suae non fuit qui perturbaret
israel et post mortem eius annis multis. Dies autem
victoriae huius festivitatis ab hebreis in numero dierum
sanctorum accipitur et colitur a iudeis ex illo tempore
usque in presentem diem.

Prologus hester

Librum hester variis translatoribus constat
esse vitiatum quem ego de archivis hebreorum re
levans verbum e verbo expressius transtuli. Quem librum
editio vulgata laciniosis hinc inde verborum funibus
traxit. Addens ea quae ex tempore dici poterant et audiri
sicut solitum est scolaribus disciplinis sumpto
themate excogitare quibus verbis uti potuit qui
iniuriam passus est vel ille qui iniuriam fecit.
Vos autem o paula et eustochium quoniam et biblio
thecas hebreorum studuistis intrare et interpretum
certamina comprobastis. Tenentes hester hebraicum
librum per singula verba nostram translationem
aspicite ut possitis agnoscere me nihil etiam aug
mentasse addendo sed fideli testimonio simpli
citer sicut in hebreo habetur hystoriam hebraicam lati
ne linguae tradidisse. Nec affectamus laudes
hominum nec vituperationes expavescimus. Deo enim
placere curantes minas hominum penitus non time
mus. Quoniam dissipat deus ossa eorum qui hominibus placere de
siderant et secundum apostolum qui huiusmodi sunt servi christi esse non
possunt. Rubrum in libro hester alfabetum usque ad
theta litteram fecimus diversis in locis volentes
scilicet lxx interpretum ordinem per hoc insinuare
studioso lectori. Nos enim iuxta morem hebreorum
ordinem prosequi et in lxx editione maluimus.